nen Ipsi tribuatur, et vocetur JEHOVAH. Jehovah autem nomen solius
Dei est proprium, ex Ebraeorum sententia indivisibilem Dei durationem sive æter-
nitatem involvens; quae a nobis quodammodo per tres temporis differentias æ-
ternitati coexistentes, concipiatur. Disertis deinde verbis a Thoma Dominus et
Deus vocatur. Dominus meus inquit ille, et Deus meus: quae verba non admirationem, quod
Socinianos, sed Christianam, Apostolicam et fidelem continent confessionem.
Deus insuper benedictus in secula vocatur, vocatur et in Scripturis Λόγος.
In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, inquit coelestis Aquila Jo-
hannes. Ubi quidem non Λόγος creatus, sed Λόγος, omnium Creaturarum Autor,
Λόγος ὁ προφορικὸς, sed ὑποστατικὸς intelligitur. Huc pertinet, quod di-
vina non solum attributa, verum etiam divina opera, divinus item ac religiosus
cultus de Christo in Scriptura praedicentur. Sic enim Christo Omniscientia, Omnipo-
tentia, vis vivificandi, peccata remittendi et judicium faciendi tribuitur
potestas. Adscribitur et huic Creatio, Redemptio, Regeneratio, Illuminatio,
Spiritus Sancti effusio, peccatorum remissio, precum exauditio, piorum defensio,
Angelorum missio, piorum glorificatio, futurorum praedictio. Messiae denique nostro re-
ligiosa assignatur adoratio, quae alias soli Immortali Deo competit. Quaerat
autem heic forsitan aliquis, cur Christum, Mediatorem nostrum, oportuerit esse
verum Θεάνθρωπον? Responsio in promptu est. Quoniam enim Christus
Patri irato pro nobis peccatoribus satisfacere debebat, necesse omnino erat, ut
Christus Deus aeque ac Homo esset. Humana siquidem natura sola sine Divinitate,
æterno et omnipotenti Deo neque obedientia activa, neque obedientia passiva
pro totius mundi peccatis satisfacere, multo minus infinitam Dei iram pla-
care valuisset. Divinitas vero sola sine humanitate inter Deum et homines
Mediatoris partes implere non potuisset, uti B. Hutterus loqui amat.
Videtis, plurimum Venerandi Auditores, quis ille sit Puer, quis et ille sit Filius, de quo Esaiae ser-
mo est: videte porro, et patulis potius auribus, quibus natus Puer, et quibus datus sit
Filius, accipite. Quod autem nobis, nobis miserrimis hominibus natus atque datus sit
Messias, ex Prophetae verbis sole meridiano clarius apparet. Propheta
siquidem Illum nobis omnibus, nullo discrimine habito, natum et datum esse affir-
mat: ut sic Ipse non electis tantum, ceu Calviniani somniant, sed omnibus ac
singulis hominibus, qui Mediatorem hunc unicum unice agnoscunt, natus atque
latus putetur. Certe enim si Deus non omnes, sed quosdam saltem homines